



Clypevs Theologiæ Thomisticæ

Continens Tractatus de erroribus Pelagianorum, de Gratia, de
Iustificatione & Merito, de Virtutibus Theologicis, & quatuor Cardinalibus,
ac de ineffabili mysterio Incarnationis

Gonet, Jean-Baptiste

Parisiis, 1669

§. II. Corollarium notatu dignum,

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77342](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77342)

mentiri posset, non esset summa veracitas; sicut A non esset summa bonitas, si quicumque potentia peccare posset, & malè agere; major enim esset illa veritas & bonitas, quæ nullâ potentia posset à vero & à recto aberrare: talem verò & tantam veracitatem ac bonitatem non esse possibilem, aut non esse reipsâ in Deo, ineptum est, ac Deo injuriosum asserere; cum Deus sit id quo nihil melius & perfectius excogitari potest.

88. Denique suaderi potest conclusio ex absurdo & inconvenienti, quod sequitur ex adversâ sententia: si enim Deus mentiri posset de potentia absoluta, tota fides nostra nutaret; quomodo enim scire possemus, quod Deus tali potestate non fuerit usus, quando mysteria fidei revelavit? Quod si B dixeris ipsum revelasse se mentitum non fuisse, de hac revelatione eadem currit difficultas: potuisset enim ex suis secretis & occultis judiciis similiter mentiri in eadem revelatione, quâ se non mentitum dixisset.

89. Non solum autem prædictis testimoniis, & rationibus, demonstratur Deum non posse immediate per seipsum mentiri, sive falsum revelare, sed etiam quod neque per alium id præstare queat: cum enim Deus ipse sit qui loquitur per ministrum, juxta illud 2. Regum 13. *Spiritus Domini locutus est per me.* & sermo ejus per linguam meam: & istud Matth. 10. *Non enim vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri qui loquitur in vobis*; quod Deus utatur ministro ad mentiendum, non obstat quominus mendacium in eum referatur, & ipsi attribuitur.

90. Confirmatur: Sicut merè materialiter se habet, quod quis loquatur verbis vel scripturâ, sabindeque obligatio veracitatis eadem omnino est, quocumque modo quis loquatur: ita prorsus materialiter se habet, quod Deus loquatur immediate per se, vel per nuntium suum, cum nuntius sit merum instrumentum, sicut scriptura, vel alia signa.

91. Confirmatur ampliùs: Si non esset omnino impossibile Deum mentiri, etiam per ministros, sequeretur quod nostra fides, quæ divinæ revelationi innititur, non haberet firmum & stabile fundamentum; quia tota ferè Scriptura revelata est nobis ministerio Angelorum, Prophetarum, Apostolorum, & Evangelistarum: Sed hoc non est dicendum: Ergo nec illud.

92. Addo quod si Deus loquitur ad homines per ministros, v. g. per hominem, vel Angelum, immediate loquitur ad aliquem illorum; non potest enim mediâ loqui ad nos, nisi immediate loquatur ad ministrum: Ergo si impossibile est Deum mentiri, aut falsum dicere, loquendo immediate per seipsum, etiam erit impossibile ipsum mentiri loquendo per alium. Vel enim ille idipsum quod ei locutus est Deus referret, aut diceret aliud: si idem referret, mentiente ministro, mentiretur Deus: si verò aliud diceret, solum minister ex seipso mentiretur, non verò Deus per illum: sicut in humanis, quando servus loquitur aliud ab eo quod dominus ipsi præcepit, non mentitur dominus, sed servus.

§. II.

Corollarium notatu dignum.

93. EX dictis inferes, Deum non posse esse causam specialem & directam in nobis assensûs falsi & erronei, ut falsus & erroneus est; licet actum illum pro materiali, seu quantum ad entitatem &

substantiam, causare possit. Ratio patet ex supradictis: Deus enim tam benè est prima veritas, quàm summa bonitas; Sed ex eo quod est summa bonitas, non potest velle & causare aliquid mali sub illa formalitate; etiam in nobis: Ergo etiam ex eo quod est prima veritas, non poterit esse causa directa & specialis in nobis erroris aut falsitatis, sub hac formalitate, licet actum falsum & erroneum pro materiali causare possit. Eadem ratio convincit, Deum non posse alicui habitum erroris, aut falsæ opinionis infundere: cum enim talis habitus per se, & directè in errorem vel falsam opinionem inclinet, Deus illum infundendo, per eum directè inclinaret intellectum in errorem, vel falsam opinionem, quod à summâ bonitate & prima veritate alienissimum est. Ex quo etiam principio in Tractatu de peccatis probari solet, habitum vitiosum non posse à Deo immediate infundi; alioquin in actum pravum, & vitiosum, voluntatem vel appetitum inclinaret.

Dices primò: Habitus erroris producit actibus nostris, ad quos Deus concurrit: Ergo etiam sine nostris actibus Deus posset immediate illum causare.

Sed nego Consequentiam: nam etiam habitus vitij producit actibus nostris, ad quos Deus concurrit, & tamen non potest illum immediate & sine nostris actibus causare in nobis; quia ad actus vitij non concurrit, quatenus mali & vitiosi sunt, sed tantum materialiter & quoad substantiam; quare eodem modo solum concurrit ad productionem habitûs vitiosi, qui ex illis actibus resultat. Idem cum proportionem de habitu erroris dicendum est: nam etiam ad actus erroris, qui sunt in nobis, non concurrit Deus directè & formaliter ut erroris sunt, sed tantum materialiter & quoad substantiam.

Dices secundò: Deus in Scriptura profitetur, se improbos in fraudem & errorem inducere: Ergo potest esse causa assensûs falsi & erronei in nobis, vel habitum erroris, aut falsæ opinionis nobis infundere. Consequentia patet: Antecedens probatur ex variis Scripturæ testimoniis: dicitur enim Job 12. *Qui immutat cor Principum; & decipit eos. & errare facit eos sicut ebrios.* Et 1. ad Thesalon 2. *Idem mittit illis (Deus) operationem erroris, ut credam mendacio.* Et 3. Regum 22. *Dei Dominus spiritum mendacij in ore omnium Prophetarum tuorum: ibidemque ait Dominus ad spiritum mendacij, Decipies & pravelebis; egredere. & fac ita.* Denique Ezechiel 14. Deus ait: *Propheta cum erraverit, & locutus fuerit verbum, ego Dominus decepi Prophetam illum.*

Respondeo negando Antecedens. Ad cujus probationem dico, regulam generalem esse apud Theologos, & Scripturæ Interpretes, quod quotiescumque in Sacra Scriptura dicitur quod Deus velit, præcipiat, aut faciat aliquid malum culpæ, vel erroris, vel falsitatis, hoc semper debet intelligi de permissione, non autem de volitione, aut causalitate positiva: hoc enim in Sacra Scriptura satis usitatum est, ut præcipere & permittere pro eodem usurpentur. Sic quando Christus dixit Judæ, volenti illum tradere, *Quod facis, fac citius*, non illi immane sacrilegium prodicionis & venditionis præcepit, sed duntaxat permisit, ut docet D. Thomas super illum locum, & Augustinus tract. 61. in Joan. Sic etiam Marci 10. dixerunt Pharisei Christo Domino: *Moses permittit libellum repudij scribere.* & Christus respondit: *Ad duritiam cordis vestri scripsit vobis præceptum*

ceptum istud. Item Matth. 19. dicunt Pharisei: *Quid ergo Moyses mandavit dare libellum repudij?* Respondit Christus: *Ad duritiam cordis vestri, permisit vobis dimittere uxorem.* Quibus locis, precipere & permittere, pro eodem accipiuntur. Quando ergo in Scriptura dicitur Deum excicare, indurare, decipere, vel in errorem inducere aliquem, hoc non debet intelligi positive, sed negative tantum, seu permissive: quia scilicet, cum Deus malum, & peccatum, aut errorem, vel deceptionem impedire posset, conferendo majora auxilia, & cognitionem clariorem, cum quibus peccatum, deceptio, aut error stare non possent; id tamen suo iusto iudicio non facit, sed peccare & errare permittit.

§. III.

Præcipua objectiones solvuntur.

96. **C**ontra præcedentem conclusionem obijci solent varia Scripturæ testimonia, quæ videntur innuere aliquos Prophetas, vel sanctos viros, Spiritus Sancti instinctu esse mentitos, aut falsum locutos, subindeque Deum, saltem per ministros, posse mentiri, seu falsum asserere. In primis enim 4. Regum 2. Isaias dixit Ezechie Regi: *Morieris tu & non vires*, & tamen supervixit quindecim annos. Secundo Jonas cap. 3. dixit ex parte Dei Ninivitis: *Adhuc quadraginta dies, & Ninive subvertetur*, & tamen non est subversa illa civitas. Tertiò Abraham Genes. 22. consensurus montem ad immolandum Isaac, dixit servis suis: *Expectate hic, ego autem & puer illuc usque properantes, postquam adoraverimus, revertemur ad vos*; in quo certè fuit mendacium; nam cum ex præcepto divino veller immolare filium, non poterat sine mendacio dicere, quod filius revertetur ad eos; & tamen instinctu divino locutus est, ac prophetico spiritu, ut docet Ambrosius lib. 1. de Abraham cap. 8. Item idem Patriarcha ex instinctu Dei (ut ibidem asserit Ambrosius) dixit quod Sara non esset sua uxor, sed soror, & ut idem diceret, suavit illi: *Dic quod soror mea es*, ut refertur Genes. 20. Denique Genes. 27. Jacob mentitus est, cum dixit Patri suo Isaac: *Ego sum primogenitus tuus Esau*; & tamen Spiritus Sancti instinctu loquebatur, ut definit Innocentius Papa, in cap. *Gaudemus*, de divorrij.

97. Ad primum responderetur, quod quia Rex Ezechias, juxta ordinem causarum naturalium, tunc moriturus erat, attendendo ad eas præcisè, verè ei dicere oportuit Isaias, *Morieris tu, & non vires*; licet nihilominus de potentia extraordinaria postea supervixerit. Solutio est D. Thomæ 1. p. quæst. 19. art. 7. ad 2. ubi sic ait: *Deus aliquando præannuntiat aliquid futurum, secundum quod continetur in ordine causarum inferiorum, puta secundum dispositionem naturæ, vel meritum; quod tamen non fit, quia aliter est in causa superiori divina: sicut cum prædixit Isaias Ezechie: Dispone domui tue, quia morieris, & non vires; Neque tunc ita evenit, quia ab æterno aliter fuit in scientia & voluntate divina, quæ immutabilis est.*

98. Ad secundum dicendum, prophetiam illam Jonæ fuisse tantum comminatoriam; quod genus prophetiæ non debet impleri, si ille cui fit comminatio, penitentiam agat, ut docet idem S.

Pars IV.

A Doctor 2. 2. quæst. 174. art. 1. & colligitur ex cap. 38. Isaiæ, ubi Dominus dicit: *Si penitentiam egerit gens illa,agam & ego penitentiam super malo quod ego cogitabam facere.* Addo cum Augustino, prophetiam illam aliquo modo fuisse impletam; nam per Jonæ prædicationem, flantibus mœnibus & domibus, Ninive subversa est in pravis moribus.

B Ad tertiam respondet Adrianus quodlib. 1. art. 1. quem sequitur Magister Cano, lib. 2. de locis Theol. cap. 4. quod Abraham mentitus est in illis verbis; sed id non fecit ex instinctu Dei, sed ex motivo proprio, ut celaret sacrificium Isaac filij sui. Neque enim (inquiunt) omnia Patriarcharum & Sanctorum dicta, vel facta, debent aut possunt à peccato excusari, ut exempla de Davidis adulterio, & litteris Uriæ datis, de Samsonis amore erga Dalilam, de Judæ accessu ad Thamar, de Petri negatione, similibusque, manifestè demonstrant.

Sed hæc responsio displicet: quia D. Ambrosius lib. de Abraham cap. 8. & S. Augustinus lib. de mendacio cap. 1. excusant Abraham à mendacio, & docent ipsum Spiritus Sancti instinctu prophetaisse, neque contra mentem locutum fuisse, cum dixit: *Postquam adoraverimus, ego & puer revertemur ad vos*, quia sperabat filium suum brevi post immolationem ad vitam revocandum, ut implerentur promissiones de illo factæ. Quod significat Paulus ad Hebræos 11. sic dicens, *Fide Abraham obtulit Isaac, arbitrans quod & à mortuis suscitare potens est illum.*

Ad illud quod subjungitur de Sara, quam dixit esse suam sororem, responder D. Thomas loco citato, ex Augustino in quæstionibus super Genesim, quod Abraham dicens Saram esse suam sororem, veritatem voluit celari, & non mendacium dici; soror enim dicitur, quia filia patris erat: unde & ipse Abraham dicit Genes. 20. *Verè soror mea est filia patris mei, & non matris meæ, quia scilicet ex parte patris ei attinebat.* Addit Isidorus, quod olim uxores, sorores à maritis vocabantur, quod etiam nunc solent facere aliqui mariti: unde Abraham loco citato Genesim solum voluit, quod Sara secum nomine fratris uteretur, & nomen mariti taceret, ut nec ipse occideretur, nec illa captiva duceretur. Quod autem postea Abimelech conquestus sit, quod illum deceptum, nihil probat: quia potius ipse se decepit, non intelligens modum illum colloquendi inter uxoratos.

Ad quartum similiter dicendum est, Jacob non fuisse mentitum, cum dixit patri, *Ego sum primogenitus tuus*; quia primogenita de jure ei debebantur, idque duplici titulo, nempe ob venditionem, & Dei decretum Rebecce significatum, quando ei revelatum est, fore ut major serviret minori. Nec etiam mentitus est, cum dixit, *Ego sum Esau*; tum quia personam ejus gerebat, unde erat Esau representatione externâ, ut loqui solent qui in theatris personam aliquam repræsentant: tum quia se appellabat Esau, non in persona, sed in jure; sicut Joannes dictus est Elias, non in persona, sed in spiritu; & sicut Paulus ad Roman. 9. ait omnes fideles, & in Christum credentes, esse Israëlitas, & filios Abraham. Addo cum Augustino lib. contra mendacium cap. 10. quod Jacob tunc gerebat figuram Christi Domini, qui in similitudinem peccatorum factus est, sicut Jacob hardinis pelibus vestitus, similitudinem gerebat Esau: unde subdit, verba illa Jacob, *Ego sum*

Ec